

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dactyliothecae Vniversalis Signorvm Exemplis Nitidis
Redditae Chillas Sive Scrinivm Milliarivm ...**

Lippert, Philipp Daniel

Lipsiae, 1762

urn:nbn:de:gbv:45:1-560

g:3






Ge VII
C7
729



Geschicht. VIII.

C. 7





Gr 25,







DACTYLIOTHECAE
V N I V E R S A L I S
SIGNORVM EXEMPLIS NITIDIS REDDITAE
CHILIAS TERTIA

S I V E
SCRINIVM MILLIARIVM TERTIVM

DELECTIS GEMMIS ANTIQVO OPERE SCALPTIS
PLERISQVE EISQVE FERE HODIE PRAEDICATIONE ET NOTITIA
MVLTORVM IN OMNI EVROPA CLARISSIMIS EXEMPLO DE
MVSEIS IN MASSA QVADAM TERREA CANDIDA
PETITO

EXPRESSIT ORDINAVIT
E D I D I T
PHILIPPVS DAN. LIPPERT
DRESD.

STILVM ACCOMMODAVIT
C. G. H^{eyne}.

L I P S I A E
EX OFFICINA BREITKOPFIA MDCCLXXII

DACTYLIOTHECAE

VNI VERSALIS

BILOGVM EXEMPLIS KNIDIS REDDITAN

CHILIAS TERTIA

217

SCRINIUM MILLIARIVM TERTIVM

EX BIBLIOTHECA
OLDENBURGENSI.

MULTORVM IN OMNI EVROPA REPERTIVIS EXEMPLIS DE

MAIUS IN MARSA CARANA TERRA CASPIDA

1717

EXCESSIT ORDINAVIT

1717

PHILIPPVS DAM LIPPERT

1717

STILVM ACCOMMODAVIT

C. G. H.

LIPSIÆ

EX OFFICINA BREITKOPFII GIGISGELXII



P R A E F A T I O

Omnibus iam laboribus, quos temporum partim calamitas, partim susceptae rei difficultas obiecerat, exhaustis, ecce tibi prodit tandem tertium Dactylithothecae milliarium, quod superioribus quidem, si ita placet, supplementi loco esse potest, neutri tamen, dilecti quidem operum et signorum, quae continet, siue artis praestantia et varietate, siue argumenti raritate et celebritate, siue denique expressionis fide ea aestimes, ullo modo inferius.

A principio quidem operis inde in votis habebam, ut apparatus hunc accessione aliqua e Museis Germaniae nostrae augere et locupletare contingeret; verum, quamvis nulli nec operae nec impensae pepercerim, vix tamen, tam inuenustus hominum, unam et alteram gemmam, eamque casu potius, quam bona cuiusquam voluntate, in manus meas incidisse fatendum est.

Ars, in qua aetatem consumsi, accuratam et diligentem cognitionem sensumque eius, quod natura pulchrum, aut quicquid ex eo imitatione expressum seu potius adumbratum est, postulat. Id si veteres assequutos, siue sequutos saltem video, si in eorum operibus pulchri natiui indolem, si iustam eurhythmiam, aptam, decentem et elegantem partium ad totum proportionem, et ipsarum inter se suauem harmoniam deprehendo, qua exprimenda Graeci inprimis felices erant, uti in obseruanda diligentes, quippe qui adeo ipsam idealem pulchritudinem, cuius in animo complicatam certe notionem habebant, adumbrare et effingere solliciti erant, idque tam scite et sollerter, ut nec natiuae simplicitati aliquid decederet, haec, inquam, si in operibus artis animaduerto, veteres probo, admiror, exosculor. Quod si facio, et recte quidem ac lubenter facio, nunquam tamen induci me patiar, ut, non sine superstitione aliqua, antiquum aliquid hoc vno statim nomine admirer, quia antiquum est, quamvis in nulla eius parte aliquid pulchri nec oculus cognoscat, nec sensus iudiciumque animi deprehendat. Omnes artes incunabula sua habuisse, et earum origines apud veteres aequae imperfectas et inchoatas tantum fuisse, necesse est, quam quidem deinceps omnes nuper modo repertas artes se habere vidimus, quas vel necessitas, vel casus, vel crassior saepe et obtusus sensus experiendo et temere tentando in lucem eduxit. Cunctas porro artes, etiam apud cultissimas gentes, diuersas et varias aetates habuisse, tam naturae quam historiae fide constat: a rudi enim et infante aetate ad vigentis et florentis robur processere; vnde, paullulum progressae, mox ad fatale illud fastigium et $\alpha\kappa\mu\eta\gamma$ peruenere; ubi quidem consistere diu eodem statu non datur, neque tamen altius ascendere licere videtur, minima vero impulsione ac rerum conuersione omnia retro feruntur, labuntur, fluunt, moxque in praecipitium ruunt. Hac itaque ratione, prout respublicae, siue diuinis siue humanis in rebus, inque institutis



et moribus maiorum, mutationem vel leuissimam subierant, labes statim inde aliqua artibus adpersa est; rursus, in melius mutatis rebus, nouus decor et splendor accessit: unde etiam antiquitatis periti, nec improbabili iudicio, e qua quodque opus aetate ad nos descenderit, pronuntiare solent. Quae quidem res in arte numaria non adeo difficilis; de sculptis vero operibus discrete et selecte certa fide iudicare velle, id vero confidentius fit, quam pro rerum humanarum conditione; quanquam vniuerse quidem, crasse et confuse fieri id satis probabiliter posse, non nego. Nam post Iuliani v. c. tempora, non facile opus probum reperias; nihilo minus tamen idoneos passim et solertes nonnullos artifices extitisse deprehendas, qui sensu veritatis et elegantiae non plane destituti fuerunt.

Itaque instituti mei & consilii in re suscepta ratio nunquam ea fuit, ut certas artium periodos statuere, inque eas, quas congesseram, gemmas serie quadam continua digerere, & suam cuique stationem assignare auderem; id quod facere nunquam ausurus fuissim, etiamsi eruditorum choro adscriptum me doctrinae singularis existimatio iure coniecturis liberius indulgendi, & dictatorio supercilio interdum, ne dubitare viderer, pronuntiandi, beasset. Quod principio mihi proposueram, hoc erat, ut voluptatis partim, partim utilitatis causa, quam e cognoscendis diuersis operum characteribus et ingeniis artificum capiebam, gemmarum undique, quae extarent, siue ectypa illa, siue protypa, opera colligerem, quantum quidem vires meae, exiguae illae et tenues, concederent. Mox, id quod ut aliter accideret, fieri non poterat, cum nonnulla antiquissimae artis diuersorum populorum monumenta in manus incidissent, dulcedine rei captus, ulterius, ut fit, progressus, inque amoenissimum campum praestigiarum quasi aliqua vi ac delusione pellectatus, noua undique sub vestigio pedum pullulante et germinante pulcherrimorum florum area, apud animum meum constitui, qua solus hactenus et ab omni aliorum communione seorsim, tanquam Epicuri aliquis deus, perfruitus eram voluptate, communicare eam cum aliis, qui eodem sensu, atque ego, ducerentur, et prodere lectissima quaeque istorum operum Dactyliotheca hac aliqua mea. Quod recte an secus fecerim, apud alios iudicium esto. Equidem id spectavi, ut intra certos fines consistere et cohibere me, neque latius & effusus vagarer, quam quidem ratio et consilium suaderet. Facile enim, si operae pretium fuisset, aliquot adhuc millia superioribus addere potuissim: quae tamen, ut eruditioni forte curiosae grata, ita artis, quam vnice fere in oculis habebam, cognitioni parum inferuentia, ad eius quidem illustrationem et inter nostros homines emendationem nullo modo facere potuissent.

Cum primum in hanc rem descenderem, difficilem sane illam, id quod non ignorabam, et aleae plenam, multi, qui sibi sapere videbantur, cum operis vastitatem et difficultatem, quippe quod multos annos, ingentes pro facultate mea sumtus, exigeret, dum ipse iam decliniori aetati propior, re familiari attrita et accisa, ad illud accedebam, cum haec, inquam, considerarent, male de successu se ominari non dissimulabant. Accedebat praeconcepta et leuis multorum opinio, non nisi ab Italis hominibus, solis ad haec natis ingeniis, tra-

ctari

Etari haec posse et debere. Verum, uti rerum humanarum, maxima quidem ex parte, successus, si accuratius rem inspicias, non tam e consilii intelligentia aut prudentiae subtilitate, quam e moribus et ingenio hominum, siue ardentiore seu frigidiore, pendet, ut, si ingenti alicuius rei, quam bonorum in censu ponis, cupiditate incensus sis, si quidem constanter et pertinaciter in consilio non omnino prauo et absurdo perseueres, et quae ad spes assequendas commoda et subsidia, casu ut plurimum, sese offerunt, ea sedulo et studiose adhibeas, non facile fieri possit, ut ullo proposito et ausu excidas: sic Numen O. M. coeptis nostris fauit, curasque, sollicitudines, industriam & operam nostram ita prosperauit, ut opus nunc feliciter ad finem perductum et absolutum sit, utque me nec operae meae, nec temporis, nec, si gloriari liceat, famae poenitere debeat.

Magna difficultas principio inde oboriebatur, quod Indice haec Dactyliotheca indigebat doctè et diligenter elaborato. Cum hoc vel maxime, aut potius vnice, sequeretur, ut artibus et artificibus collectionem hanc accommodatam et utilem redderem, initio consilium ceperam, breuiarium quasi aliquod et regestum gemmarum, quotquot in ea continerentur, vernacule et gallofrancice exarare. Mox, ut solet aliorum alia esse ratio, in consilium vocatis et adhibitis amicis ac familiaribus, plerosque illud occinere audiebam, vera nomina harum rerum non nisi docta aliqua, ut loqui solent, lingua edi posse. Quorum rationibus, si non victus, at labefactatus tamen, circumspexi doctum hominem, cui conficiendum talem indicem traderem; quumque multum temporis frustra de eo sollicitus fuisset, en tibi B. Christium, virum harum litterarum fama celeberrimum, qui id reciperet. Et confecit ille sane indicem doctum utique et diligentem, sermone, quo uti solebat, paullo coactiore illo quidem, Latino tamen et puro, qui viro antiquarum litterarum studiosissimo longa consuetudine familiaris erat, utut aliis forte insolens videri poterat, adpersitque passim annotationes acutas et eruditas. Hoc stilo itaque duae Chiliades exaratae in lucem prodire. His ut tertia haec et ultima responderet, utque summa operis sibi constaret, ipsam quoque latine confici necesse erat: quanquam ut ne illa in superiorum indicum amplitudinem cresceret, inque magni voluminis modulum excurreret, resectis omnibus, quae quidem ut docti non desiderabant, ita indoctis parum suffectura erant, sedulo cauimus: possunt enim in hoc doctrinae genere multa disputari subtilius & argutius, vere fortasse atque commode, sed ad communem utilitatem parum. Sed si nos intra arctiores fines cohibuimus, fecimus hoc iure nostro, idque inprimis propterea, quia, cum in tanto artificum numero vix vnus et alter reperiatur, qui latine graeue calleat, bono cum deo apud animum constituimus, statim atque haec e manu deposuerimus, alium indicem vernacula lingua exarare, paullo aliter digestum et ordinatum. Animus nimirum est, satis ampla, et quae ad intelligentiam argumenti artisque cognitionem satis sit, expositione praemissa, apponere loca auctorum Graecorum et Romanorum, quorum magnam copiam congeessimus. Accedent his similia gemmarum exempla ex marmoribus, picturis, numis, vasis &c. Viros doctos porro laudabimus, a quibus singulorum, inter

diuerſas praecipue de eadem re ſententias, accuratioꝝ notitia peti poſſit, ita tamen, ut cuiuſque iudicio et ſenſui relictuꝝ ſit, de qualibet re ſtatuerẽ, uti lubet; quam quidem rationem nuper *Wildium, V. C.* magna cum laude ſequi vidimus.

Cum haec collectio exiguam tantum portiuꝝculam gemmarum antiqui operis contineat, quotquot quidem earum, ex infinita illa multitudine, qua Graeciam olim et Italiam cumulataꝝ fuiſſe neceſſe eſt, poſt tantas rerum conuerſiones, ad nos perueniunt, facile, vel me tacente, perſpici poteſt, largam adhuc aliis, qui ſtudium noſtrum amplecti inſtitutumque idem ſequi velint, meſſem relictaꝝ eſſe. Ars quidem plasmata et paſtas, quas vocant, conficiendi neque nunc demum nata, neque obſcura adeo et abdita eſt, ut non, quiſquis ei operam addicere velit, cognoſcere eam & addiſcere poſſit. Verum in hoc ſumma rei vertitur, ut cum ratione et conſilio conquiras et colligas, quae eſſingere velis. Neque ingenia huic rei idonea, in tanta ſollertiſſimorum et ingenioſiſſimorum hominum inter populares noſtros copia, ne quando defutura ſint, verendum eſt, modo principes et reges, inter ſtudia ſua, artium utilium et elegantium delicias et oblectamenta adoptare, aut, ſi qui alii ſunt, qui amoris horum ſtudiorum laude florere volunt, communem ſaltem hominum ſocietatem ea in re reſpicere velent, non indignum ſe rati, curam adhibere, ut aliqua ex opulentiſtis iſtis artium apparatus & muſeis, in quae conquiſita vndique et conuaſata artium et ingeniorum monumenta in cuſtodiam quaſi detrufa interdum, et ad aeternos carceres damnata latent, ut ex his, inquam, aliqua ad ciues ſuos et populares, quibus imperant, utilitas redeat; id quod non dubitamus fore ut eueniat, ſi operum et monumentorum, quae in theſauris iſtis abdita, aut certe paucorum eorumque ſaepe parum intelligentium hominum ſue uſui, ſue curae, relicta ſunt, exempla et eſtropa vulgentur, ut in artificum oculos manusque facile peruenire poſſint; quae res oportunitates & commoditates ad expoliendas artes, ingenia, mores hominum praebitura eſſet tam multas, ut ad opulentiam, ſplendorem, gloriam et claritatem regni populique inde maximae acceſſiones fieri poſſent. Ut enim nunc res ſe habent, iſtae ex communi antiquitatis naufragio ſeruatae tabulae ſi non unica, id quod tamen ſunt, at praetantiſſima ſaltem artium exempla, ad quae ſtatuariorum, pictorum, monetariorum, ſcalptorum idque genus artificum ingenia formari, fingi, acui, excoli et ornari poſſint, iſta, inquam, antiquitatis monumenta in diuitum et potentum penu intractata frigent, et e communi hominum uſu penitus ſublata ſunt. Mihi quidem nulla res gratior accidere poſſit, quam ſi plures exſurgere videam, qui idem mecum ſpatium decurrere, meamque rationem dignam iudicare velint, quam ſequendam ſibi aut potius emendandam & illuſtrandam ſumant.

WINKELMANNVS, vir omnis antiquitatis cognitione facile princeps, harum imprimis litterarum tam accurate doctus, ut nemo magis, quique, id quod inter litteratos homines non facile reperias, in varia & immenſa eruditione ſenſum pulchri omniſque elegantiae natiuum et exquiſitum retinuit, is, inquam, deſcriptione, quam nuper euulgauit, *Muſei Stoſchiani* laborem noſtrum non parum leuauit. Cum enim ex
Mu-

Museo isto, quod nunc ad Britannos, haud malos ut scientiae et veritatis exactores, sic artis et elegantiae (non effeminatam illam, elumbem et emsullatam, peius etiam ab aliis affectatam, sed masculam hanc, honestam & ingenuam dico) spectatores, peruenit, multa in scrinia mea translata sunt, illius quidem ingeniosam operam haud raro in usus meos conuerti.

Addere hic quaedam, coronidis loco, de dioptrica veterum constitueram, quantum quidem illa ex eorum operibus cognoscitur, nec non disputare nonnulla de usu microscopiorum apud eos, itidemque de aliis nonnullis rebus differere decreueram, quas nondum satis accurate a viris doctis expositas obseruasse mihi videor. Enimvero ista omnia in memoratum illum maiorem Indicem reseruo. Interea, ut hanc qualemcunque operam meam, b. Lector, non nisi e consilio & proposito, quo illa suscepta fuit, iudices, hoc est, quod, ut non iniqua prece rogo, ita bona bonorum beneuolentia facile impetraturum me esse confido.

Jam de interprete huius Indicis pauca haec accipe, Lector: non tam iudicio eum suo, quam auctoris aestimatione et flagitatione, laborem hunc subiisse, cum amici et iucundi senis honestissimis precibus pertinacius repugnare pudor nescio quis vetaret; eum porro in tota hac expositione parum aut nihil de suo inculcasse, neque quidquam mutasse, sed Auctoris, harum litterarum, quanquam nullas Athenas adiiit, doctissimi, quique accuratiorum forte nonnullorum eruditionem ingenii acutissimi subtilitate compensat, iudicii vero limati & elegantiae sensu plerosque antiquitatis studiosos homines antecellit, eius, inquam, sententias et verba religiose retinuisse, nec facile, si sermonis ratio ferret, ne ab eius quidem stilo, recessisse; ceterum, omni eruditionis laude contempta, breuitatem et simplicitatem sermonis vnice spectasse, utque in Indice par erat, pleraque nude et exiliter exposuisse, saepe verbo tantum notasse. Quod si proprietatem sermonis, qualis quidem harum litterarum esse solet, non ubique et parum feliciter assequutum esse videas, id in homine mirari noli, qui iam multos inde annos studia ista, neque fortunae suae, neque seculi et populi nostri genio, neque temporum calamitati satis consentanea, deposuit, quique, cum haec describeret, nulla prorsus librorum suppellectili, ne vno quidem antiquo auctore instructus erat, et cui adeo, si in tanta subtilissimae eruditionis farragine humani aliquid passus sit, aut formula exciderit, grauius irasci, aut acerbe et aspere eum accusare vix quisquam paullo liberalioris ingenii homo in animum inducat.

ARGVMENTORVM IN GEMMIS

ORDO AC SERIES

PARS PRIMA TOTA MYTHICA

- I. Historia fabularis, deos gentium antiquiss. exhibens - Gemmis ccclxix.
II. Sacrificia fere ac ritus Graecorum vetustiss. - - Gemmis xxiv.
-

PARS ALTERA FERE HISTORICA

- I. Gemmae Homericae - - - - Gemmis xxi.
II. Heroum graeci fere generis & regum imagines - Gemmis xxxvi.
III. Heroum, Regum, Reginar. antiquit. imagines - Gemmis llii.
IV. Sapientum Graecorum ac Poetarum imagines - Gemmis lxxiv.
V. Primordia vrbis Romae, & Rom. viri virtute illustres - Gemmis lxxxvii.
VI. Imp. Rom. Augustarumque imagines - Gemmis clxxxix.
VII. Res militares, aliique ritus fere Romanorum, monstra & mythologiae
residua - - - - Gemmis cli.
-



DACTY-

VDIA



DACTYLIOTHECAE VNIVERSALIS
 CHILIAS TERTIA

QVAE ET SCRINIVM MILLIARIVM TERTIVM

PARS PRIMA TOTA MYTHICA

I. HISTORIA FABVLARIS DEORVM

GEMMARVM VET. SIGNA

Numerorum ratio.	Argumenta signorum gemmae cuiusque edita.	Lapillorum vocabula.	Possessores hoc tempore gemmarum.	Ingenior. mon. ac libri, in quibus enarratio argumentorum habetur.
1	SATVRNVS, aduersa facie, nauis lateri insidens, cuius rostrum prominet; dextram falx armat; dextrorsum a tergo, moenium urbis particula; intra cuius munitionem fastigium templi surgit.	Sarda		

Dact. Vniu. Scrin. Milliar. III.

A

2 Idem

Num.	Argumenta.	Lapill.voc.	Possellores.	Monum. Scriptor.
2	Idem, alis indutus, humi accubans, falcem inter crura depressam tenens; oculos in librum ex aduerso positum intentos habere dicas; supra librum cometa fulget. Recentius, sed probum opus.	Sarda		
3	IOVIS AMMONIS caput; paruo lapillo.	Sarda		
4	Idem; maiore gemma.	Sarda		
5	Idem, aliquanto scitius expressum.	Iasp. rub.		
6	IOVIS OLYMPII laureatum caput.	Sarda		
7	IOVIS REGIS caput.	Sarda	in Galliis vs-	
8	Eiusdem imago, affabre facta.	Achates	quam	
9	Eiusdem alia, minus scite. <i>In omnibus his capitibus nullae aures conspiciuntur. Cretenses Iouem ἰωρον, Lacedaemonii cum quatuor auribus fingeant. Plutarch. de Osir. et Iside.</i>	Sarda	Ibidem	
10	IUPITER quadrigis vectus, fulmen in prostratos Gigantes vibrans; praeclarum opus AΘHNION, h. e. Athenionis.	Ectypum	PrincepsFarnesius	
11	IUPITER PHILIUS s. CONSERVATOR, in solio sedens; dextra pateram, laeua sceptrum tenens.	Sarda		
12	Idem, aduersa facie, throno insidens; gemma paullo maiore.	Sarda	in Curia Lipf.	
13	IUPITER MILICHIVS; perpulchre descriptus, exiguo in lapillo.	Sarda		
14	IUPITER VICTOR, in solio sedens; dextrae aquila insidet.	Plafina	L. B. a Gleichen.	
15	Idem, in throno sedens; aquila iuxta pedes; in dextra protenta Victoriae signam.	Achat. Saphir.	Idem	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
16	I V P I T E R R E X, folio insidens; in dextra sceptrum; ad pedes aquila. Magni voluminis gemma, nec ab inscita manu.	Cryſtall.		
17	I V P I T E R P H I L I V S, in throno sedens, dextra pateram, laeva sceptrum tenens. In conspectu dei stat <i>Minerua</i> , et a tergo <i>Iuno</i> .	Sarda		
18	Idem; a dextra stat <i>Hygiea</i> , a sinistra <i>Aesculapius</i> . <i>De hoc Ioue Philio differit Pausan. lib. V.</i>	Sarda		
19	L E D A, stans, sed reclini paulum corpore, quippe cygnum sustinens, proterue alludentem.	Carched.		
20	Eadem, iam resupinata, a cygno compressa, quem a tergo <i>Cupido</i> premit et vrget, ad properandum scilicet opus. Praeclaro et elegantissimo artificio gemma.	Sarda		
21	Eadem, non multum ab simili habitu, sed sine Cupidine. <i>Exhibimus illam iam in Milliar. II. n. 9. sed ex vetusta pasta; nunc cum aliquanto diligentius expressum exemplum ad manus sit, dignum illud propter eximiam venustatem existimaui quod hic repeterem.</i>	Sarda	Comes Mo- szinsky	
22	D A N A E, aureum imbrem ambabus manibus, cupide auroque inhians, simulque portento rei attonita, excipiens. Fragmentum operis.	Amethyſt.	L. B. a Gleichen	
23	H E B E, Iouis aquilae pastum praebens. Opus scite descriptum.	Sarda	Idem	
24	G A N Y M E D E S, a Ioue in aquilam conuerso raptus; infra, amphora euerſa. <i>Argumentum operis plane Lucianum. v. Dial. D.</i>	Pasta ant.	Idem	

A 2

25 Idem,

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
25	Idem, stans, tiara Phrygia indutus, pedum in laeua tenens, et Iouis aquilae, quae arbori infidet, cibum praebens.	Iasp. rub.	Idem	
26	IO, a Ioue in vaccam conuersa, et a Iunone in furorem fugamque coniecta, errorem ad Nili ripas fistens. Narrationem rei ab Ouidio pete. Hic, ad ripam fluiui, templum Dianae in colliculo positum, et infra illud, canis conspicitur.	Iasp. rub.		
27	MINERVAE <i>salutiferae</i> imago pectore tenus; probum opus.	Carched.	ab Oeffele, a Conf. El. Bav. Monachii	
28	MINERVA HIPPIAS, cassidem equo exultante insignem induta. <i>Non est hic equus pro Pegaso habendus. Iam in pugna cum Gigantibus dea equo usa esse fertur; et tum Pegasus nondum natus erat.</i>	Achates onych.	Comes ab Hoymb	
29	MINERVAE <i>Stratiae</i> , siue <i>militaris</i> , imago.	Achat. Sardonych.	olim in Cismelio Elect.	Museum Florent. T. I. tab. 51, n. 6.
30	Eiusdem alia, maiore gemma.	Sarda	Rex Gall.	Mariette T. II. tab. 5.
31	Eiusdem alia aliquanto maior.	Ectypum.	Fontiniere Vir Cl.	
32	MINERVA <i>Vitrix</i> , in promontorio sedens; retrospectans; dextram parazonium, laeuam hasta armat; a tergo clypeus humi acclinis; et ante pedes, tropaeum.	Hyacinth.		
33	MINERVA <i>Bellatrix</i> ; e dextro brachio clypeus, in laeua, hasta; gradientem, vel ex quassa motuque agitata chlamyde, colligas.	Hyacinth.		
34	Eadem dea, stans, sine clypeo, dextra hastam tenens, laeua peplum, quo induta est, colligens.	Sarda	L. B. a Fritsch, a Conf. int. R. Pol. El. Sax.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
35	Eadem, gradiens; hasta dextro humero imposita, et clypeus brachio sinistro insertus. Appellatur haec <i>Minerua Cranaea</i> . Habebat ea templum ad <i>Elateam Phocidis</i> ; statua eius, a <i>Polycelis</i> filiis facta, ad pugnam exeuntis speciem praebebat.			
36	<i>Cassis</i> , perelegantis et ornati operis; cristata; <i>Victoriae</i> , bigis insistentis, et, ante ora, <i>Dianae Venatricis</i> , signis conspicua. <i>B. Christius</i> <i>Mineruae galeam esse contendebat</i> .	Sarda	<i>Christius</i> A.P.	
37	Mulier, eodem, quo <i>Begeri praefica</i> , statu; sedens, lugenti vel dormienti similis. In conspectu ara, cuius latus aduersum tres figurae insignant, tripodem sustinens, e quo <i>Sphinges</i> aliquot existunt. <i>Winkelmannus ingeniose coniebat</i> , <i>Themidem ereptas sibi ab Apolline sortes Delphicas lugere</i> .	Pasta ant.	L. B. a <i>Stofsch</i>	
38	APOLLINIS caput; absolutae elegantiae et artis opus; gemma exigua, in clypei fere modum conuexiore.	Achates onych. tri- color.	L. B. a <i>Gleichen</i> .	
39	Eiusdem aliud, vittatum.	Sarda	Idem	
40	Aliud, laureatum.			
41	Eiusdem, egregie comati, laureati, chlamydati, exquisita pulchritudine, imago. Comam quidem ad humeros vndarum in modum defluere dicas. Lyra ad pectus apposita.			
42	Eiusdem caput cincinnatum; ad utramque oram verba: HERMES - APOLLIN.			
43	Gemma vtrinque scalpta; in altera	Onych.	Princeps	
44	parte citharoedus trunco arboris		<i>Iablonouius</i>	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possitores.	Monum. Scriptor.
	<p>insidens, cui laeua innititur, dextra lyram genu impositam sustinens: ambiunt verba: VICTO APOL MARSII. in extrema ora virgula a ceteris fecernit vocem FAVEA, quod nescio an artificis nomen esse possit.</p>			
	<p>Altera pars superius tibiam geminam, infra vero verba sequentia exhibet, quae, quia auersa hac parte ad signandum non utebantur, litteris rectis exscalpta sunt, ut adeo in ectypo conuersa appareant: NERO CL CAE AVG GER P M TR P IM PP.</p>			
	<p><i>Mihi quidem probabile fit, gemmam hanc aliquando equitis Romani fuisse, ex eorum quidem numero, qui cum Nerone in scenam prodisse memorantur. Suetonius, ubi rem narrat, Neronis dictum addit: Marsyam ab Apolline, Apollinem a Nerone victum. Gemma haec quondam meam penum adornabat; vnde sibi eam comparauit Ill. Princeps Iablonouius.</i></p>			
45	<p>APOLLO, stans, dextra super caput sublata, laeua lyrae innixa: ante deum ara cum signo Dianae, ad cuius verticem stella micat.</p>	Pasta ant.	Gorius	in Gemm. astrif. T. I. t. 41.
46	<p>Idem non valde absimili statu, nisi quod arae adfidet.</p>	Plasma	L. B. a Gleichen	
47	<p>Idem tripodi acclinatus; laeua lyram femore nixam tenens.</p>	Sarda	Idem	
48	<p>APOLLO, MARSYAS et OLYMPVS; cuiusmodi signa iam in miliar. I. et II. vidimus.</p>	Iasp. rub.	Rex Galliar.	Mariette T. I. t. 13.
				49 PHOE-

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
49	PHOEBI caput radiatum; ab inferiore parte luna ambit, cornibus fursum versis, ad quorum extremitatem stellula apposita. Possis et <i>Solem orientem</i> dicere.	Sarda	L.B. a. Stofch	
50	SOLIS et LVNAE, aduersis inter se vultibus capita, inque eorum medio litterae tres hoc ordine: C Y N	Carchedon.		
51	<i>Pegasus</i> terram vngula pulsans, vt Hippocrenen scilicet eliciat.	Sarda		
52	Idem, eodem statu.	Sarda		
53	Idem cursu concitato fertur.	Sarda		
54	<i>Lyra</i> Apollinis, a Mercurio inuenta; cuius descriptionem dabunt <i>Homer. Hymn. in Mercur. v. 47. atque inde fere Aratus Phaenom. v. 268. a Germanico latinus factus. cf. Theon. ad Arat. Pausan. Arcad. et Hygin. Astron. c. 7.</i>	Achates onych.	L. B. a Gleich	
55	<i>Tripus</i> , in quo ignis accensus elucet; a docta manu.	Hyacinth.	In Galliis vsquam	
56	APOLLINIS et DIANAЕ capita iugata; magna in gemma.	Ectypum	Eduardus Walpole	
57	DIANAЕ caput; pone ceruicem arcus cum telo prominet.	Carchedon.		
58	Eiusdem imago, pharetram e tergo, arcum a pectore habentis. <i>Fortē Faustina maior est, uti quidem ea in lapidibus et numis haud raro occurrit, ex miro illo capitis ornatu comaeque operosa congerie facile agnoscenda. Dianam quidem, Victoriam, et nonnullas alias deas, in comarum apparatu, Graecarum fere puellarum morem sequi videas.</i>	Sarda		

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
59	DIANA, stans, leuiter amicta, coma promissa, dextra arcum, laeua ceruum cornu prehensens; perantiquum opus.	Sarda		
60	Eadem, vt quidem vulgo perhibetur. Mulieris stolatae species, Sacerdotis fere in morem, manibus iunctis, ante aram stantis; post aram ceruus. Montefalconius eiusmodi aliam gemmam manibus triuit, isque <i>Dianae Sacerdotem</i> in ea conspicari se putauit. Quid? si <i>Iphigeniam</i> esse dicas? nota fabula.	Sarda		
61	DIANA TAURICA; mulieris species latis alis indutae, tauro insidentis, cuius cornua, in quorum medio Luna nitet, laeua apprehendit; in dextra palmam gestat: opere molli, arguto, et mirae venustatis, quodque <i>Sostrati</i> manum prodere videri possit. <i>Pausan. lib. V. Dianae alatae signum, tanquam rem insolitam, miratur; qua forma dea in capulo, quo Cypselus conditus erat, conspiciebatur.</i>	Sarda		
62	DIANA EPHESIA; in capite pacem calathum gestans; hinc et illinc <i>Solis</i> et <i>Lunae</i> capita; opere non improbabili.	Sarda	Moehsen, D. Berolin.	
63	Infoliti argumenti opus. Cetera quidem <i>Dianae Ephesiae</i> species, sed brachiis extentis, quorum alteri vrsa, alteri leo insidit; laeua chamaeleonem, dextra anguilam marinam tenet; multimamma est, sed inter vbera ex dextro latere vnicornu, ex laevo equus	Sarda		

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
	exsilit; fasciis innoluta, Dianae more, ad pedes vsque; sed in capite coronam turritam gestat, vt verius pro <i>Cybele</i> habeatur.			
64	CYBELES imago, corona turrata insignis; grandiore in lapide.	Ectypum	Princeps Farnesius.	
65	Eiusdem caput velatum; summae venustatis opus.			
66	TELLVRIS signum, inter duo copiae cornua decussatim posita.	Sarda		
67	Eadem dea, sedens inter duo leones, corona turrata insignis, dextra papauer cum spica gestans. Sed Cybeles, Telluris et Cereris attributa centies permutari videas.	Sarda	Marchio Verospi.	
68	PROSERPINA Aetnae adsidens, et flores legens; antiquo et elegante opere.	Achates onych.	L. B. a Gleich.	
69	TRIPTOLEMVS, Cereris curru, draconibus iuncto, insistens.	Sarda		
70	<i>Messor</i> manipulum humeris gestans. Broughton <i>Vertumni</i> signum esse conieciat.	Sarda	L. B. a Stofsch.	
71	<i>Cereris symbola</i> ; duo Copiae cornua decussata, interque ea gallus gallinaceus cum mure et modio, ex quo quatuor spicae emicant.	Sarda		
72	<i>Calathus</i> , inter duo Copiae cornua, quinque spicis prominentibus onustus.	Sarda		
73	<i>Modius</i> , cum binis spicis et papauere; quae omnia fertilitatis signa esse quis ignorat!	Sarda	Christius A. P.	
74	VVLGANI caput.	Sarda	L. B. a Gleich.	
75	Idem deus galeam proeudendo effugens.	Sarda	chen	
76	VENVS VVLCANO supplicans. Vulcanus trunco arboris insidens, inter arma, recentis scilicet fabri-	Sarda	Comes Poniatiouius.	

Dact. Vniu. Serin. Milliar. III.

B

cae

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
	cae opera, et teli aciem in foculo ante se posito ignis vi indurans. Venus, blande compellanti similis, manu humerum dei attingit seu demulcet; laeva facem inuersam tenet; Cupido pone eam obliquo corpore, prospectantis specie. Opus Graecanicae artis politum & elegans.			
77	VULCANVS, in sua fabrica, operi- cudendo intentus. <i>Venus</i> cum <i>Cupidine</i> , moxque <i>Mars</i> cum <i>Mercurio</i> properantius accedere videntur. Maioris moduli gemma.	Sarda		Grauelle T. I. tab. 14.
78	VENERIS imago, coma promissa; inficetum opus infitae manus.	Sarda		
79	VENERIS <i>armatae</i> imago; ad frontem papilio obuolitat.	Sarda		
80	VENVS <i>anadyomene</i> ; ad pedes delphin, quem duo Cupidines insecunt: ad nobilis istius marmoris, quod <i>Mediceae Veneris</i> nomine notum, imitationem ex- pressum, omnibus suis numeris perfectum, elegantissimum, gra- tissimi decoris, et a liberali inge- nio profectum opus. Vide Mus. Florent. T. III. tab. 26 & 27.	Carbunc. amethystin. vulgo Gra- nates		
81	VENVS AVREA dicta; infra, a laeva parte Hermula Priapi, in sinu vestis poma gestantis, quem illa indumento suo obuoluere voluisse videtur. <i>Improbioris</i> <i>paullo et nequioris argumenti fa-</i> <i>bula, ingenio illa quidem sequioris</i> <i>sexus non male accommodata, sed</i> <i>quam disertius exponere pudor</i> <i>vetat.</i>	Carbuncu- lus ame- thyst.	Imp. Rom. Aug.	Mus. Florent. T. I. tab. 73. n. 5.
82	VENVS <i>meretrix</i> , stans, dextra	Sarda		supra

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
	supra caput elevata telum tenens, quod ipsam Cupido, face instructus, manum attingens, blandis precibus reposcere videtur; ad pedes pharetra. Bellum et blanditum opus.			
83	Eadem, paullo maiore in gemma, nisi quod leue aliquod pepulum laeua explicat, et progredientis speciem habet. Signum non minus, ac superius, singulari venustate commendabile.			
84	VENVS, stantis habitu, ad dextram clypeus humi leuiter acclinatus, quem Cupido inscendit, matrem exoraturus, vt arcum, quem illa ambabus tenet, recusanti similis, sibi reddat. Arcus paullo grandior est, vt Martis potius haberi debeat. Opus non quidem contemnendum, parum tamen elegans, et ex seculo Adriani temporibus recentiore.	Chrysoprasus	Comes a Sternberg.	
85	Eadem, Cupidini arcum porrigens.	Achates	L. B. a Gleichen.	
86	VENVS <i>vitrix</i> , ad columellam acclinata, pomum Eridos a Paride traditum manu tenens; ad pedes clypeus.	Plasma	Idem.	
87	VENVS speciosa corporis facie, quae utique deam fateatur; dextra faciem accensam praeferens; laeua indumentum, tenue illud et leue, colligens; ad pedes pharetra cum arcu. Cupido cum sceptro pressis vestigiis insequitur.		Rex Galliar.	Ex Schedis Comitum a Caylus.
88	Eadem ante aram igne accenso lucentem, cui iaculum comburendum inmittere videtur; pone	Sarda	Kirsch Secretar.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	eam columella, [ad quam pharetra cum arcu alligata.			
89	Eadem, leuiter amicta, dextra spicas, laeua vnam tenens. Signum hoc in Gorlaei Dactylitheca <i>Laetitia</i> typus proditur; sed vix habeas dicere, qua auctoritate. Causei interpretatio multo simplicior et veri similior.	Sarda		Causei Gemm. fig. t. 74.
90	VENVS <i>anadyomene</i> , paruo lapillo.		in Galliis vsquam.	
91	VENVS in balneo, indumentum ponens, in genua subsidenti similis. In Mill. r. nonnullas huius similes vidimus. Opus peruenustum.	Sarda	L. B. a Fritsch, a Conf. int. Reg. Pol. El. Sax.	
92	VENVS <i>coniugalis</i> , coronam myrteam manu suspensa elevans, cuius illa Cupidini cupidissime appetenti renuit copiam facere.	Achates	L. B. a Gleichen.	
93	MARS et VENVS; gemma marmoris a Bruckero exposito perquam similis.		in Galliis vsquam.	
94	VENVS MARTEM blanditiis demulcens.	Sarda	Moesen D. Berolin.	
95	Idem plane argumentum, crassiori opere.	Carchedon.		
96	MARTIS, siue alius quis heros ille est, imago; ante ora clypeus cum arcu prominet.	Iasp. rub.	Rex Galliar.	Mariette T. 2. t. 8.
97	Eiusdem alia imago; inque conspectu caput equinum cum palmae arbusculo.	Plafina		
98	Idem, stans, dextra hastam, laeua clypeum tenens; adscriptis litteris: ΩΣ.	Achates onych.		
99	Idem, de caelo descendens, laeua clypeum cum hasta, dextra lapidem tenens. Grauellius, vir doctiss.			Grauelle Recueil T. 2. t. 14.

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	de montibus Thraciae descendere existimat. Equidem nubes conspicere mihi videor; montes nusquam.			
100	Idem fugienti similis, respiciens, et in femore laevo nescio quid manu prehensum tenens; plane eo flatu, quo ab Homero describitur, a Diomede vulneratus, vociferans, et Iouis fidem imploratum discedens.	Pasta ant.	L. B. a Gleichchen.	
101	MARS GRADIVVS.	Sarda		
102	Idem; appositum <i>Astrum Iouis</i> .	Sarda	L. B. a Gleichchen.	
103	MARS quiescens inter spolia.	Achates onych.	de Wurmb, a Confil. int. R.P.El. Sax.	
104	MARS spoliis insidens, ante columellam, clypeo innixus, manu scipionem seu sceptrum gerens.	Plasma	L. B. a Gleichchen	
105	MARS minitabundus a Minerva se proripiens.	Carchedon.	Mochsen, D. Berolin.	
106	NEPTVNI imago; ad pectus tridens prominet. Idem aliquando <i>Neptunus Rex</i> audit.			
107	NEPTVNVS bigis vectus; tridens in dextra. Gemmae huius pars auersa duas manus iunctas exhibet, e quibus duo Copiae cornua assurgunt, in quorum medio caduceus eleuatus; in ora inferiore: PAX. Forte ea pugnae naturalis et insequutae pacis memoriam seruare debebat.	Lapis Armen. vulgo Lazuli	L. B. a Gleichchen	
108				
109	VENVS MARINA, siue AMPHITRITE, cum clypeo Medusae capite insignito, tergo Dei marini insidens, cuius cervicem brachio circumdat. Vulgato nomine	Sarda		Grauelle Recueil T. 2. t. 36.

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possitores.	Monum. Scriptor.
	<i>Doris et Nereus exhibiti feruntur. Opus apprine pulchrum. Omnino caput de Diis marinis magnas antiquariis molestias exhibuit; adeo turbata omnia in hac theogoniae parte et perplexa, nec ullus in deducendo marinorum deorum genere, siue poeta siue mythographus, satis sibi constat. Multis hic, iisque non improbabilibus coniecturis locus esset, nisi omnia haec in Indicem generaliorum referuaremus.</i>			
110	Eadem, molliter et eleganter descripta.	Carchedon.	Marc. Sabatini.	Cauf. Mus. Rom. T. I. t. 43.
111	<i>Deus marinus Senex, tergo Venerem vehens, Neptuni tridente, quippe quae et ipsa maris regina est, armatam. Montefalconius Amphitriten appellat. Sed et Senex ille Pontus esse potest, et haec Venus τρωϊες, cuius pulchram statuam in Hermiones templo Pausan. Corinth. vidisse se memorat.</i>	Iaspis	Dux d' Estrées.	
112	AMPHITRITE, delphino vecta; desuper Cupido aduolat. Grauellius pro Venere marina habet. Verum delphinus Amphitriten Neptuno perduxerat, nuptiarum inter eos conciliator.	Sarda		Grauelle Recueil T. I. t. 62.
113	NEREIDVM vna, monstro marino vecta. Softrati opus perexigui moduli.	Sarda		
114	TRITON, dextra tridentem, laeuarum tenens; incedentem praegrediuntur duo delphines ludibundi. Opus longe praestantissimum.			Grauelle T. 2 t. 33.
115	GLAVCI natantis caput.	Carchedon.		

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
116	NILVS, laeua, qua cornu copiae tenet, urnae innixus, dextra remum gerens; ad pedes crocodilus hiant ore in eum insurgens; pingue et indoctum opus.	Sarda		
117	DEVS MARINVS, vt quidem vulgo perhibent. Species est humi cubantis, cruribus decussatis, velamine obductis, in laeua copiae cornu; nec vllum aliud dei marini attributum apparet. Homerus in Odyss. <i>Protea</i> in litore inter phocas somnum capere solitum memorat.	Ectypum	Rex Sicil.	
118	<i>Delphinus</i> in tridente recumbens.	Achates	L. B. a Gleichen.	
119	ARGVS, cui Io in vaccam mutatam Iuno seruandam tradiderat, a Mercurio occisus. Hic quidem dextra harpen, laeua caput Argi abscissum, et caduceum, tenet. Io in fugam coniecta concitato cursu fertur. Adstanti arbori Iunonis auis insidet, cuius caudae Argi oculi inserti esse videntur. Antiqui artificii opus.	Sapphir.		
120	MERCVRIVS, in promontorio sedens, vnde <i>ἐπὶ οὐκίριος</i> ; nec male, cum navigationis et mercaturae custos esset. Acceperat ille ab Apolline virgam, cuius vim diuinam vsque eo omnino ignorabat, dum duo angues certantes conspiciatus, coniecta inter eos virga, diremtos illi innexuerat, & nodo Herculeo alligauerat. Hanc ille virgam in gemma nostra manu tenens conspicitur; quo habitu fere a Samiis cultus est, et in Ti-	Achates	onych.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Poffeffores.	Monum. Scriptor.
	berii numis etiam occurrit. In multis museis sub Apollinis, Mercurii inferi, aliisque nominibus latentemprehendimus.			
121	Idem plane signum.	Amethyft.	L. B. a Gleichen.	
122	MERCVRIVS, Deorum interpres.	Iasp. rub.	in Gallis vsquam.	
123	MERCVRIVS <i>criophorus</i> , defensor armentorum; pone eum gallus gallinaceus, ipsi non minus, atque Aesculapio, sacer.			
124	Idem, sed sine gallo.			
125	Idem, qualis in Milliar. II. a Dioscoridis manu exhibitus fuit; ad cuius exemplar hunc a cel. Nattero expressum vides.	Sarda		
126	MERCVRIVS, columellae innixus, caduceum in manu gestans; gemma aliquanto conuexiore in clypei modum; opere pulcherrimo.	Sarda	Comes ab Hoymb.	
127	Idem, incedentis habitu.	Onych.	Wermuth.	
128	Idem, cum crumena et caduceo.	Sarda		
129	Idem plane, minutulo lapillo.	Carbunc. amethyft.		
130	MERCVRIVS INFERVS, vt hic quidem recte appellatur, vmbra ex orco euocans. Vetustum Etruriae opus, barbatum deum exhibens.	Sardonych.	L. B. a Stofch	
131	Idem a scitiore manu, vmbra euocatam manu iam apprehendens, et ad se eleuatam pertrahens. Etiam hoc Etrusci artificii opus; sed deus in eo imberbis.	Sardonych	Idem	
132	MERCVRII SYMBOLA, et quae eadem fere, CERERIS: gallus gallinaceus, spica, papauer cum Copiae cornu.			

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
133	<i>Eadem symbola</i> , diuerso paullum ordine: caduceus, cornu Copiae, et globus.	Sarda	Wermuth Vir Cl.	
134	BACCHI incunabula.	Cryfall.	L. B. a Seckendorf.	
135	<i>Eadem</i> , minore in gemma. Nobilissimae huius et celebratissimae gemmae, quotquot nancisci potui, exempla diligenter congeffi omnia. In tanta doctorum viro- rum de interpretatione signorum eius disceptatione, nullam vidi probabiliorem coniecturam, quam qua BACCHI ORGIA, vti quidem Athenis celebrabantur, expressa putantur. Marjettus <i>vindemiae</i> licentiam et hilaritatem descriptam existimabat: sed paullo difficiliore et duriuscula interpretatione.	Sarda	Schunter, P. P. Altdorf.	
136	BACCHI caput cornutum, quale in numis Metapontinorum obuium est.	Sarda		
137	Aliud eius caput, hederam vinctum.	Carchedon.		
138	Eiusdem imago pulchre comata; qualis in numis Lamiae, Thessaliae oppidi, conspicitur.			
139	Eius alia bicornis; siue <i>Bacchum Sabazium</i> dicas.	Ectypum	Richter D. & P. P. Lipf.	Mus. Richt. Dactyl. tab. 17. n. 39.
140	Eius bifrons caput; bonum, sed recentius, opus, ab equite Constantino ad Marmoris, quod Romae habetur, exemplum expressum.	Achates onych.		
141	Idem deus curru inuectus, hirco et tigride iunctis.	Sarda		
142	Idem temulentus. In mill. I. eundem e Comitibus de Bentink, in mill. II. e Zanetti penu exhibitum vidimus, vtroque pulchrum, hoc tamen multo inferiori.	Pasta ant.	L. B. a Stofch.	
	<i>Dact. Vniu. Scrin. Milliar. III.</i>		C	Nihil

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	Nihil enim est, quod cum hoc comparare possis: adeo pulchrum illud natium, quod omni arti imitatione exprimendum propositum est, summa omnium partium et iustissima proportio, ac mollissima membrorum lineis extremis descriptio, nulla verborum copia explicari potest; sentiri tantum potest. Non itaque reprehendendus Winkelmannus, vir exquisiti sensus, qui in descript. Musei Stofch. paullo copiosior in enarranda hac gemma est: nemo enim, qui τὸ καλὸν non obtusum sensum habet, satiari facile adspectu potest.			
143	Idem, stans, dextra cantharum, laeva thyrsum gestans; adstat tigris.	Sarda	Comes a Wackerbart.	
144	CERES et BACCHVS; Romani artificii, nec ab indocta manu.	Sarda		
145	BACCHVS triumphator, in curru excelsus, ariete et leone iunctis, quos freno regit. Satyrus tubam inflans currum antegreditur. Ad caput Bacchi Iouis astrum lucet. Perpulchrum opus.	Sarda	In Galliis vsquam.	
146	<i>Tropaea Bacchi ab Indis reductis.</i> Victoria cum Fauno tropaeum statuit, cui amor retortis manibus alligatus est. Alius Faunus ex aduerso, meditabundi specie in colliculo sedet. Eximiae artis et venustatis opus, cuius pastam possideo, nesciens, vnde expressam.			
147	<i>Triumphus BACCHI et ARIADNES.</i> Dorschii manum probe agnosco. Gemma ipsa mirae est pulchritudinis.	Chrysoptaf.	a Schmidt, a Consil. aul. R.P.El.Sax.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
148	BACCHVS ET ARIADNE, curru vecti, Horis iuncto, quas Cupido facis quasi verberare obiurgans vrgit. Alius Amor, morae etiam impatientior, rotas, manu admota, propellere laborat. Suauissima et elegantissima allegoria; opere longe scitissimo.	Ectypum	Eduard. Walpole.	
149	SILENI caput, hedera vinctum.	Sarda		
150	Aliud, caluum, hederaceo ferto cinctum. Winkelmannus non male conicit, <i>Aeschyli</i> poetae esse, qui de se praedicare solebat, nisi Baccho viso, se poetam non esse. Atque haec sententia multo etiam magis sese approbabit, vbi infra eum poetam alia gemma expressum viderimus.	Iaspis rub.		
151	Itidem aliud.	Sarda	Rabner, Secretar.	
152	SILENVS, seu potius, MARSYAS, aduersa et recta facie, sedens, utraque manu buxos tenens; ad pedes tibia gemina, cum syringe siue fistula. Venustas operis vel minus subtili ingenio deprehensum et cognitu facilis. In Mill. II. idem argumentum, sed paullo minus scite tractatum, vidimus.			
153	MAENADIS pulcherrimum caput, aduersa fronte, hedera cinctum. Mihi quidem BACCHI esse probabile fit, quem Euripides in Bacchid. <i>Θηλύμορφον</i> , h. e. muliebri ore, appellat.	Sarda		
154	Aliud MAENADIS caput obliquum.	in Vitro	M e' sen, D. Berolin.	
155	Aliud.	Sarda	in Galliis vsquam.	
156	Itidem aliud.	Sarda	Ibidem.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
157	Aliud, coma ad ceruicem in nodum constricta, pendentibus spirulis. Affabre factum.			Caus. Mus. Rom. T. I. t. 12.
158	MAENADIS imago, humeros nebride amictae.	Sarda		
159	Alia, eodem habitu; eximiae venustatis.	Amethyst.		
160	Alia, maior.	Sarda	Rex Boruff.	Beger. Thef. Brandeb. T. III. p. 20.
161	Alia, paullo grandior.	Pasta ant.		
162	Alia, reflexa paullum ceruice.	Amethyst.	Dux Oedescalc.	Museum T. I. t. 27.
163	Alia, praegrandis, et mire pulchra.	Sarda		
164	Itidem alia, medio tenus corpore expressae. <i>Onesae</i> opus.	Sardonych.		
165	Alia, ad femur fere vsque extantis, eximie pulchrae, dextra thyrsiferentis, laeva mammam comprimentis, et lac exuberans in cornu, quod caprae speciem habere videtur, excipientis. Corporis mollissima inflexio et conuersio, manus delicata, et leuissima pressione vberi admota, omnesque reliquae corporis partes elegans et pulchri natiui studiosum ingenium artificis produunt.	Ectypum.		
166	THYAS, miris modis agitato et excusso corpore; cuiusmodi multas I et II. mill. vidimus.	Sarda	Rex Galliar.	Ex Schedis Com. a Caylus.
167	Alia, stans, iactato capite, coma effusa, indumento aurae sufflatione leuato et fluctuantium lumborum crispitudine diffuso; quo quidem habitu Callirrhoe vidimus Milliar. II. n. 163. et 164. Corpus, quamquam velatum, non tamen amictu adeo obductum et tectum est, quo minus pulcherrimas corporis	Hyacinth.	Imp. Rom. Ang.	Mus. Florent. T. I. t. 87. n. 7.

partes

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	partes cognoscere possis. Summae et antiquae artis opus: Veteres enim non facile id agebant, ut, quam natura pulchritudinem exhibere solet, eam ipsi arte oculerent.			
168	<i>Sacerdos Bacchi femina.</i>	Sarda		
169	FAVNE adolescentis, belluli, imago, tigridis pelle amicti, visus et hedera coronati. Delicatissimae et fastidiosae pene manus opus, quod <i>Solonis</i> esse perhibetur.	Sarda		
170	Alia istius non dissimilis, nisi quod protome in tigridis pelle disertius expressa.	Sarda		
171	Alia hedera coronata.	Sarda		
172	Eiusmodi alia, hedera visusque cincta.			
173	Alia, prouectioris aetate, hedera comis inferta.	Amethyst.		
174	Alia, obliqua facie, pulchre efficta, minuta gemma.	Achates onych.		
175	Alia; ad os, syrinx, litterata illa quidem, sed euanescentibus iam elementis, apposita.	lasp. rub.		
176	Alia paullo grandior, impense scita. ΔΕΥΚΙΟΥ h. <i>Lucii</i> opus.	Sarda		
177	Alia iuuenili, eoque formosissimo ore.	Carched.		
178	Alia, pueruli dixeris; exigui moduli.	Sarda	Marchio Verospi.	
179	Alia, hedera incinctis comis, peruenusta.	Ectypum		
180	Alia eiusmodi, paullo grandiore gemma.	Ectypum	Dux Odescalescus.	Museum T. I. t. 40.
181	Alia FAVNI barbati.	Sarda		
182	Alia grandaeuioris.	Carchedon.		
183	FAVNVS, stans, dextra pedum tenens, laeua uiam ostentans, quam	Sarda		

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	Cupido, colliculo insiftens, flagranter manibus appetit. Ex altera parte, capra ad pedum proterue alludit. Probum opus.			
184	Alius, ad arborem reclinatus, cani adfilianti vnam ludendo exhibens. Incomtum opus.	Sarda		
185	Alius, saltans, laeuam pelle caprina obuolutus, dextra pedum tenens.	Sarda		
186	Alius, saltans, laeua scyphum tenens. Ad pedes tibia gemina. Eleganter descriptum subtilique delineatione adumbratum opus, a Graeca manu; lapillo minuto.			
187	Alius, saltans, minutula in gemma.	Sarda		
188	Alius, dextro pede crupezio insiftens, ambabus craterem tenens; paruula itidem gemma.	Achates onych.		
189	Alius, barbatus, praegrandi in gemma, temulentus, titubante & incerto gradu, thyrsu aegre se sustinens, oculo in scyphum auide fixo, quem laeua tenet, brachium rhenone, seu pelle caprina, ab humeris pendente, obuolutus. Opus pulcherrimum, praefantissimum, cum illo No. 142. comparandum, nisi quod illud adolescentem florentis, hoc paullo adultiorem tantum non confirmatae aetatis exhibet. Molliusculas et quasi tornatiles musculorum inflexiones, membrorum extremitates subtiliter praecisas, aut potius sensim euanescentes, et totum corporis habitum tenerum, teretem, et quasi ductilem, nunquam mirando exfatiari queas.		Rex Galliar. Ex Schedis Comitisa Caylus.	

190 Idem

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
190	Idem ille, paullo minore gemma, superioris exemplo expressus, nec contemnendae artis, sed pulchritudinem alterius nullo modo assequutae.	Sarda	Princeps Galliczin.	
191	Alius sedens in pelle caprina humi extensa, brachio genu innixio, mentum dextra suffultum sustinens, obtutum in nescio quid figenti similis; ad pedes extensos, quos inter buxorum par eminent, vas in stylobata positum. Elegancia operis plane cum <i>Nicomae</i> manu, Mill. I. N. 220. vbi minus recte <i>Nicomachi</i> editur, conuenit.	Smaragdites	Comes Maurit. a Brühl.	
192	Idem ille felici imitatione expressus, minore lapillo.			
193	Alius, bacchantis habitu, nimio mero infaniens, et ad lasciuam saltationem procliuis, quales Mill. I. n. 185 lqq. nonnullos exhibuimus. Hic quidem non male expressus.	Achates onych.	L. B. a Blum.	
194	Idem a scitior manu; ad pedes vas euersum.	Sarda		
195	Alius colliculo, tigridis pelle strato, insidens; Nympham, in conspectu stantem, manu amplexus; Faunus elegantissime descriptus; Nympha valde adolescentula nimis adhuc tenello et crudo, necdum perfecto, corpore, membrisque leuiore ductu circumscriptis.	Sarda	in Museo Ce-	Museum Florent. T.I. tab. 86. n. 9.
196	Alius, in sinu velaminis arboreos fructus gestans, Nympham, admodum puellari aetate, manu amplexus, quae videndi cupida, quid in sinu gerat, suspenso pede	Ectypum		

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Script.
	sele alleuat, manūque humero iniecta senis ceruicem deprimit, vt facilius scilicet degravati inspicere poma possit; at ille detrectare ac repugnare videtur. <i>Sandrartus in Academia graphica statuam huius non abfimilem exhibet, quam Panem siue Naturam appellat; quasi haec inter se, e veterum quidem sententia, differrent.</i>			
197	SATYRVS, saltabundus, dextra personam Panis, laeva imagunculam tenens; ad pedes pedum.	Sarda	Christius A.P.	
198	SILENVS ebrius, a Faunis gestatus, a Satyris, Faunis, Maenadibus et Geniis nonnullis stipatus et deductus. Undecim omnino figuras videas.	Iaspis	Princeps Reg. Boruss.	
199	CENTAVRVS, Herculeo corporis habitu, altero humero calathium, altero facem non accensam gestans. Opus praestantissimum, inter illa quidem, quae altius exscalpta sunt, facile principe loco, et ob id singulare, quod figurae plus dimidio e gemma exsurgunt, quod in anaglyphis haud facile obuium. Robur Centauri, torosos artus, latum pectus specta et mirare.	Ectypum	Rex Sicil.	
200	CENTAVRA FEMINA, parvulum Centaurum lactans; egregii operis fragmentum.	Ectypum	Dux Strozzi.	Mus. Florent. T. I. tab. 92. n. 5.
201	FANOS caput, qua ille quidem oris deformitate ab Homero et Luciano describitur; Herodoto tamen contra sentiente.	Sarda	in Galliis vsquam.	

Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
